

Franckesche Stiftungen zu Halle

Disputatio Secvnda Eaue Periodica Sacra Scriptvra

Dieterich, Martin

Francofvrti Ad Viadrvm, [1745?]

VD18 13450646

Cap. VI. De aliis rationibus, quae verbi divini excellentiam adaugent.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:obv:ha33-1-201487

et urbis Hierosolymitanae, in primis templi magnificentissimi excidio. Vaticinatus est de universali Evangelii praedicatione Matth. XXVIII. v. ult. XXIV. 14. XXVI. 13. cujus praesagatio ex causis naturalibus minime exsistere poterat. Neque enim solum nova illa, ut videbatur, religionis forma quam maxime infestabatur, ad vulgarem hominum captum non attemperata, sed Apostoli etiam contemptui habebantur, in sapientia humana parum versati. Quid si autem oracula Deorum gentilium idem praestitissent? Minime vero. Ea tam obscura fuisse, tam ancipiti sermone ad utrumque sensum conformata, ut ipsis idolorum cultoribus ethnicis imposturae vanitatisque suspicionem moverint, legimus. Noti sunt versus: *Ajo, Te Aeacida Romanos vincere posse. Croesus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim*, qui diversissimam omnino interpretationem admittunt. Accedit et hoc, quod responsa plerumque clanculum, in secessu et loco ab hominum frequentia remoto, in antris et speluncis edita fuerint. Satanas astutissimus est spiritus, qui ex dispositione animorum, temporum aliorumque momentorum probabili ratione multa colligit, et per instrumenta sua manifestat. Quod si itaque forte fortuna praedicta eveniunt: superstitiosa turba opinatur, ea omnia evidentissime praedicta fuisse: sicut viri in re publica versati ad eventum belli conjectura propius accedunt. Quis autem id sibi sumet, ut certum et indubitatum eventum inde praesagiat.

CAP. VI.

De aliis rationibus, quae verbi divini excellentiam adaugent.

§. I.

Praeter argumenta haec stringentia, quae N. T. potissimum (de V. enim T. deinceps speciatim differetur) divinam inspira-

inspirationem humana fide agnoscendam seu credibilem de-
 clarant, non desunt alia, quae generatim sacrorum voluminum
 dignitatem et excellentiam adaugent. Atque hic primum
 locum suo jure occupat *antiquitas*, propterea quod omnium
 antiquissimum verissimum censendum est. Et si enim e ra-
 tionis lumine primum hominis statum perspectum non ha-
 bemus: illud tamen firmiter licet colligere, bonitatem divi-
 nam, tanquam aeternam et necessariam perfectionem, passam
 non esse, ut mendaciloqui crearentur. Res ipsa itaque loqui-
 tur, S. S. ratione doctrinae cum ipsa hominum origine coe-
 pisse, et respectu librorum priorum, quibus posteriores pul-
 cherrime congruunt, omnium gentium scriptis, monumen-
 tis, annalibus, qui exstant, aliquot seculis antecedere. Si enim
 vel maxime concedimus, jam ante Moysen libros adfuisse, pro-
 ut Daduchus hic Israelitarum omni Aegyptiorum sapientia,
 quam voluminibus comprehensam fuisse, verisimile est, eru-
 ditus dicitur Aet. VII-22. eos ipsos tamen injuria temporum
 interiisse constat. Sola scriptura certum mundi hujus exor-
 dium docet, accuratam annorum seriem, qua duravit rerum
 universitas, constituit, regnorum principia et successionem
 monstrat, de quibus historici profani conticescunt. Solenne
 quidem est scriptoribus gentilibus, ad illustrandam eam, in qua
 nati sunt, gentem, populorum suorum natales ad multa retro
 secula extendere. Verum si paulo diligentius in rei verita-
 tem inquirimus: adeo futilem et absurdam illorum narratio-
 nem deprehendemus, ut ejus vanitas semet ipsa refellat et
 confundat, in anilibus denique fabulis terminata. Et sicuti
 non temere asseritur, ab historicis divinis complura mutua-
 tos esse scriptores profanos: ita sine lectione sacrarum lite-
 rarum in veteris historiae studio parum profici, vere mihi
 videor posse contendere. Arguit doctrinae vetustatem lingua
 etiam

etiam, in qua volumina sua scripsit et vulgavit Moses. Decla-
rant id omnia omnium Patriarcharum ante diluvium et post
illud nomina, velut Adam, Cain, Abel, Seth, Enos, Enoch,
Noach, quos novimus his nominibus, ex Hebræo sermone
ortis, insignitos fuisse, antequam fatalis illa accideret vel con-
fusio, vel divisio. Herodotus sane literas per Cadmum, quod
non pro nomine proprio sed communi agnoscimus, virum
orientalem intelligentes, ab orientalibus et Judæis ex Phoe-
nicia in Graeciam allatas esse refert. Conf. *Hermann von der*
Hardt, Viri in hoc studiorum genere versatissimi, *Studiosus*
Graecus §. 5.

§. II. Nec exigui momenti est, tot hominum per univer-
sum orbem disperforum, qui generis humani florem consti-
tuunt, et bonas artes honestosque mores prae reliquis gen-
tibus excoluerunt, jam inde ab Apostolorum aetate *concor-
s et
plane consentiens de divina Scripturae inspiratione testimonium*. Dif-
ficile enim creditu est, tam magnam et tam eximiam homi-
num multitudinem, in mendacium ejusmodi consensisse, aut
consentire potuisse, ut libros illos, qui naturalibus cupidita-
tibus ambitionis, voluptatis et avaritiae obicem ponunt, in
tanto pretio haberent, nisi divinum quiddam et prorsus sin-
gulare in iis observassent. Non negamus quidem, multos in
externo ecclesiae coetu parentum, sacerdotum, et pruden-
tiorum judicio stare: verum de omnibus, qui per tot seculo-
rum decursum Christum coluerunt, quique immensum nu-
merum conficiunt, ita judicare, levitatis et arrogantiae do-
cumentum praebet. Provocant hic rursus inconsiderati re-
rum sacrarum judices, qui de invento quodam quasi paralle-
lismo gloriantur, ad Coranum, qui a tot myriadibus pro sa-
lutis norma agnoscatur. Verum pestilentissimus hic liber et
seculo

seculo demum septimo post N. C. exclusus est, et corruptae nostrae naturae mirum in modum palpatur, cum e contrario verbum Dei carnis desideria in ordinem redigat, et semper viguerit, licet pedetentim a Mose usque ad Johannem in unum corpus coaluerit.

§. III. Magnum quoque pondus ad doctrinae propheticae et Apostolicae dignitatem affert invicta *innumerabilium* *martyrum*, innocentiae et sanctitatis laude insignium, *constantia*. Neque enim viri solum sed et pia feminae, atque inter illas tenerae virgines, gravissimos cruciatus et supplicia, humanis viribus intolerabilia, non insano quodam impetu, sed zelo sobrio, tanta animi praesentia subierunt, ut ipsis hostibus terrorem injicerent, et saepe carnifices impellerent, necis et tormentorum instrumenta projicere, seque supplicio offerre. Facebat hinc *Henricus Dodwellus*, qui singulari libro martyrum paucitatem adstruere conatus est. Nam antiquitatis et historiae ecclesiasticae periti, in scripto isto ingenii foecunditatem multamque lectionem laudant, argumentorum vero soliditatem desiderant. Neque alii nugatores nos moveant, qui Ethnicos quoque et Judaeos ob superstitiosum cultum crudelissime afflictos a Christianis in pari mentis robore perstitisse dicunt. Miseri enim homines talia perpessi facili negotio perspexerunt, se a Christianis quidem falsi nominis affligi, revera autem non propter doctrinam Christianam tantopere celebratam, neque *religionem* in immutandis sacris spectari, sed *regionem* aliasque causas minus honestas. Atque adeo mirandum non est, si neque adhibitis tormentis, quae tamen Christianorum martyrio plerumque multo leviora fuerunt, ad ecclesiae, et doctrina et moribus corruptae, societatem pertrahi potuerunt. Ecquis autem unquam fando accepit,

accepit, a genuinis sacrae scripturae cultoribus in dissidentes ullum crudelitatis genus exercitum esse. Simul atque enim illud fieret, indicio foret, vel non lectum, vel non intellectum, vel vita non comprobatum esse verbum divinum.

§. IV. Non possumus, quin *doctrinae Christianae* tam *felicem et repentinam per totum terrarum orbem propagationem*, et inter immanissimas persecutiones admirandam conservationem, huc referamus. Fatemur libenter, orbem quoque miratum esse, se tam cito factum esse Muhammedanum. Verum quem fugit, summam hic versari differentiam. Deliramenta Turcica armata manu populis obtrusa sunt, quod multo aliter se habuit in amplificanda doctrina Christi. Dogmata complura rationis captum transcendebant, disciplina morum difficiliora postulabat, Doctores novi federis, nec sapientia humana nec facundia excellentes, spreti jacebant. Adversarii vero potentia ac calliditate nitebantur, quae omnia propagationem doctrinae literis sacris comprehensae impeditura videbantur. Ea propter facile cernimus efficaciam divinam, quae obstaculis illis remotis corda hominum non pertinaciter resistentium occupaverit, ac de divina hujus doctrinae origine convicerit.

§. V. Diximus Cap. V. §. 1. evicta divina N. T. origine nullam relinqui amplius dubitationem, quin V. T. libri omnes et singuli eadem valeant auctoritate, quod ipsum hoc modo probamus. Scriptura sacra N. T. non tantum boni libri criteriis, atque in excellentissimo quidem gradu, gaudet, quia vera, sibi constantia, sancta, inprimis illud, cujus gratia consignata est, nimirum ut viam salutis ostenderet, idque stylo simplici cum gravitate conjuncto et ordine concinno tradit, sed divinitus quoque inspirata est, propterea quod auctores ejus
secunda-

secundarii missionem et scriptionem suam miraculis et vaticiniis, quae a solo Deo proficiscuntur, testatam fecerunt, et praeterea multis aliis rebus, antiquitate, perpetuo et concordi innumerabilium et sapientissimorum hominum consensu, inexpugnabili martyrum constantia, subita doctrinae propheticae et apostolicae propagatione, et inter crudelissimas persecutiones admiranda conservatione, prae omnibus aliis literarum monumentis palmam meretur. Fieri autem non potest, ut liber a Deo, qui propter infinitam scientiam falli nequit, neque propter summam benignitatem homines fallit, inspiratus mendacia contineat. Si itaque Christus, si Apostoli Veteri Testamento generatim et speciatim *θεοπνευσίας* laudem tribuunt: effato illorum fidem omnino habendam esse intelligitur. Nota sunt verba Pauli: *πᾶσα γραφή* (tota illa scriptura, quae eruditum te potest reddere ad salutem) divinitus inspirata est. II. Tim. III-15, 16. In eundem sensum scribit Petrus II. Ep. I-21. *Non voluntate hominis allata est olim prophetia, sed a Spiritu Sancto impulsu locuti sunt sancti Dei homines.* Sermonem autem potissimum esse de verbo scripto ex superioribus dispalescit. Diviti epuloni petenti, ut Lazarus quinque fratribus testificetur, ne et ipsi veniant in locum cruciatus, respondet Abrahamus: *habent Moysen et Prophetas, audiant illos.* Luc. XVI-29. Unde discimus, fundamentum fidei dogmaticum tunc temporis fuisse libros V. T. Et quamvis non omnes scriptores antiqui federis nominatim in N. T. recenseantur: perspectum tamen et exploratum habemus, tempore Christi et Apostolorum corpus illud biblicum iisdem voluminibus, quae nunc comparent, constituisse. Quandoquidem igitur scriptores N. T. ad universum complexum V. T. tanquam ad volumina Spiritus Sancti afflatu perscripta, aliquoties provocant: divina ejus origo in dubium nullo modo vocari potest. Neque hic obstat, nonnullorum hagiographorum auctorem secundarium ignorari. Sufficit enim, et argumentum illorum et scripturae genus a patefactione et inspiratione Spiritus Sancti dependere, adeoque et V. et N. T. libros pari passu ambulare.